

Band VIII., Nr. 3080b, Seite 298-305

*Graf Eberhard von Württemberg verkauft Burg und Herrschaft Ehrenstein mit dem Patronatrecht der dortigen Kapelle, der Vogtei in Harthausen und dem Maierhof in Mähringen an Kloster Söflingen: Um 1301 machte Graf Eberhard den Versuch, das Patronatrecht zu Ehrenstein wieder auszuüben, indem er seinen früheren Notar, Konrad von Berghausen, Kirchrektor in Nürtingen, dem Bischof zu der Stelle präsentierte. Kandidat des Klosters Söflingen war Johann von Laufenbürg. Über den Streit sind 2 Protokolle von, durch Magister Heinrich Sieder von Esslingen vorgenommenen, Zeugenverhören vorhanden, die hier abgedruckt werden, weil sie über die in den beiden vorhergehenden Urkunden berührten Verhältnisse Aufschluss geben.

 II.

 Verhör der Söflinger Zeugen.*

Ohne Ortsangabe, Ohne Zeitangabe. (Zu 1281, um September 9).

Reverendis dominis suis magistro Walt[ero] scolastico et C[onrado] preposito sancti Johannis nec non canonico maioris ecclesiarum Constantiensium venerabilis in Christo patris ac domini H[einrici] dei gratia Constantiensis episcopi vices gerentibus magister H[einricus] dictus Sider de Esselingen debitam reverentiam et honorem. Examinatis testibus productis a Johanne de Loffenberg sacerdote in causa, quam idem Johannes movet C[onrado] dicto de Barghusen rectori ecclesie in Nuwerthingen super capella Erigstain dicta, ipsorum testium ad feriam quartam post octavam festi pentecostes¹ vobis reportavi prout a vobis receperam in mandatis.

 Intendit probare Johannes de Loffenberg sacerdos presentatus ab honorabili in Christo . . . abbatissa et conventu sanctimonialium monasterii in Sevelingen ordinis sancte Clare Constantiensis diocesis ad capellam in Erigstain, quod ipse legitime presentatus est ad dictam capellam Erigstain a memoratis abbatissa et conventu monasterii in Sevelingen. Item quod predictae abbatissa et conventus castrum in Erigstain cum omnibus pertinentiis suis emerunt a spectabili viro Eber[hardo] comite de Wirtemberg et specialiter cum iure patronatus capelle predictae pro ducentis et quadraginta marcis argenti. Item quod dicta venditio habita fuit et facta ex consensu et cooperatione serenissimi domini R[udolfi] Romanorum regis. Item quod predicta abbatissa et conventus fuerunt a tempore dicte venditionis in possessione dicti castri cum suis pertinentiis et iure patronatus. Item quod dicte abbatissa et conventus receperunt

¹1302 Juni 20. Die bischöfliche Entscheidung erfolgte am 9. November dieses Jahres zu Gunsten des Klosters Söflingen.

II

hactenus ius advocatie in dictis possessionibus, quod tantum debetur patronis. Item quod de omnibus predictis est publica vox et fama. Hec intendit probare non astringens se ad probandum omnia sed ad ea tantum, que sibi pro intentione sua fundanda sufficere videbuntur. Ad quod probandum
1. Al. capellanus predicti monasterii in Sevelingen testis iuratus non odio etc. rogatus super primo articulo, in quo dicitur, quod predictus Johannes sit legitime presentatus a predictis abbatissa et conventu ad prefatam capellam in Erigstain, rogatus dicit, quod cum ipsa capella vacavit, nescit tamen utrum per mortem vel per resignationem quondam magistri R[uperti] phisici de Esselingen, tunc eedem abbatissa et conventus, ad quas ius patronatus ipsius capelle spectat, iuste presentaverunt ad eam predictum Johannem per litteras sub sigillo conventus, quo ipse abbatissa et conventus communiter uti consueverunt. Nescit tamen tenorem illarum litterarum de verbo ad verbum, sed dicit, quod summarius intellectus earum fuit, ut predictum est. Rogatus de causa scientie dicit, quod interfuit et ad hoc consilium dedit et litteras ipsius presentationis legit et litteras ipsi Johanni dari vidit. Rogatus quo tempore et in quo loco et coram quibus hec facta fuerint, quod ante festum beati Martini preteritum, sed mensis diei et hore non recordatur, nisi quod fuit ante prandium in fenestra maiori predicti monasterii in Sevelingen coram pluribus fide dignis, inter quos nominat . . gardianum et . . et fratrem Giselbertum de Ulma fratres Minores. Item super secundo articulo, in quo dicitur, quod predicte abbatissa et conventus emerunt castrum Erigstain cum omnibus pertinentiis suis a comite Eber[hardo] de Wirtemberg et specialiter cum iure patronatus capelle predicte pro ducentis et XXXX marcis argenti, rogatus dicit, quod emerunt et predictus Eber[hardus] comes eis iusto venditionis tytulo vendidit ipsum castrum cum pertinentiis et specialiter cum iure patronatus dicte capelle, ut predictum est, pro ducentis et quadraginta marcis argenti et dedit eis super hoc litteras sub sigillo suo et cautionem que vulgariter dicitur hantvesti. Rogatus, si pertinentie castri expresse fuerint et que ille sint, dicit, quod ius patronatus capelle ipsius castri Erigstain, advocatia in Harthusen et curia, que vulgariter dicitur Maierhof, sita in Moringen et omne ius domini ipsius castri, videlicet, proprietates personarum piscationes agri usuagia virgulta et alie possessiones ipsi castro pertinentes ab antiquo. Rogatus, per que verba facta fuerit venditio, dicit, quod nescit aliter nisi ut dixit, et nisi quod quondam Otto am Stege minister et Crafto scriba de Ulma nomine et loco predictarum abbatisse et conventus de predictis castro et eius pertinentiis fecerunt iustum contractum emptionis cum comite Eber[hardo] predicto. Rogatus, si castrum ipsum singulariter et ius patronatus etiam singulariter vendita fuerint, vel si fuit dictum in venditione, quod venderetur ius patronatus, dicit, quod nec castrum singulariter nec ius patronatus singulariter vendita fuerint nec dictum fuit in venditione, quod

III

ius patronatus venderetur singulariter, sed castrum cum iure patronatus capelle ipsius et aliis suis pertinentiis iuste venditum fuit, ut predixit Rogatus pro quanto quelibet pertinentiarum empta fuerit, dicit quod nescit. Rogatus, si in venditione ab ipso Eber[hardo] comite aliquid exceptum fuerit et sibi resignatum, dicit, quod nichil nisi quedam iura que vulgariter dicuntur manlehen, que ipse comes Eber[hardus] etiam habuit in civitate Ulmensi. Rogatus de causa scientie dicit, quod vidit et legit instrumentum venditionis, cuius summarius intellectus est, ut predixit. Dicit etiam pro causa scientie, quod audivit a pluribus bonis et gravibus quam predictis, scilicet Ottone ministro et Craftone scriba, qui ipsi venditioni interfuerunt, et dicit, quod quidam scripti sunt in instrumento ipso, inter quos nominat quondam H[einricum] marchionem de Burgowe, comitem Ulricum de Schelkelingen et fratrem Werdicum Zenar ordinis Minorum, et sicut audivit, ita credit esse. Rogatus, si venditionem statim secuta fuerit traditio dicit, quod statim facta venditione ipse comes Eber[hardus], ut audivit a predictis, resignavit ad manus quondam regis R[udolfi] ipsum castrum cum eius pertinentiis et tunc ipse, qui dicit, in continenti intravit et apprehendit nomine predictarum abbatisse et conventus possessionem predictorum castri et pertinentiarum de consensu et auctoritate ipsius regis R[udolfi] et dirutum fuit ipsum castrum et ad usum predictarum abbatisse et conventus redactum. Rogatus, si viderit dictum argentum nomine pretii exolvi ponderari vel numerari una vice vel pluribus et cui hoc factum fuerit dicit, quod ipsemet nomine pretii solvendi pro dictis castro et pertinentiis presentavit et per manus suas satisfecit de predictis ducentis et quadraginta marcis argenti una die ad manus civium de Ulma, quibus ipse comes Eber[hardus] dari iussit ex parte quondam H[einrici] marchionis de Burgowe predicti, cui in eadem pecunia et forte in pluri tenebatur, et fecit solutionem in argento ponderato et in denariis Hallensium, sed nescit quantum in argento et quantum in denariis, nisi quod maiorem partem solvit in argento. Rogatus, quo tempore et in quo loco et quibus personis nominatim et coram quibus hanc solutionem fecerit, dicit, quod non recordatur nisi quod solutio fuit diu post venditionem et quod fuit in Ulma et coram Ulmensibus, quos nescit nominare. Rogatus, si dictus comes Eber[hardus] tempore huius venditionis fuerit maior aut minor annis, dicit, quod audivit a multis et credit esse, quod fuerit talis etatis, quod de bonis suis facere potuit quicquid voluit et hoc quod fecit valuit. Rogatus, si decretum alicuius iudicis intervenerit in venditione, dicit, quod audivit a pluribus et ita credit esse et notorium dicit esse, quod predictus rex R[udolfus] interfuit et verbotenus venditioni consensit et credit, quod hoc fecerit tamquam rex. Rogatus, si auctoritas tutoris vel curatoris intervenerit, dicit, quod non, quia erat etatis talis, quod non indigebat, ut predixit. Rogatus, si ipse Eber[hardus] comes in huiusmodi contractu lesus fuerit, dicit, quod non credit, quia tunc temporis

IV

et in tali loco, videlicet iuxta Ulmam, poterant emi pro tanta pecunia redditus multo plures. Rogatus super tertio articulo, in quo dicitur, quod dicta venditio facta fuerit ex consensu et cooperatione quondam regis R[udolfi], dicit, quod ipse rex R[udolfus] ipsi venditioni consensum suum et auctoritatem adhibuit, ut predictum ost, et per manum eius facta fuit et in pretio dedit decem marcas argenti. Rogatus, si ipse rex ipsum comitem induxerit ad ipsam venditionem metu potentia odio coactione vel persuasione illicita, dicit, quod non, sed si fuit aliquo modo coactus, hoc fuit propter debita, in quibus quondam marchioni H[einrico] de Burgowe tenebatur. Item super quarto articulo, in quo dicitur, quod dicte abbatissa et conventus fuerunt a tempore dicte venditionis in possessione dicti castri cum pertinentiis suis et iure patronatus, dicit, quod dicte abbatissa et conventus a tempore venditionis predictae citra possederunt castrum ipsum et locum, in quo castrum situm fuit, et eius pertinentias et ius patronatus predictum eo iure, quo ipse comes Eber[hardus] in eas transtulit, ut predictum est, et dicit, quod castrum seu locus, in quo situm fuit, distat ab Ulma quasi per dimidium miliare et capella, cuius ius patronatus eidem castro seu loco predicto pertinet, est ei magis contigua, quam ad tractum baliste. Rogatus, qualiter ei constet, quod predictae abbatissa et conventus fuerunt in possessione iuris patronatus ipsius capelle et per quos actus sive exercitia, dicit, quod a tempore dicte venditionis pro patrono semper communiter ab omnibus nominabantur et habebantur et pro patrono se gerebant et receperunt ius advocaticium ipsius capelle, quod ab antiquo patronis semper datum fuit. Rogatus de causa scientie dicit, quod ipsemet nomine predictarum abbatisse et conventus a toto tempore venditionis citra annuatim per manus suas recepit et recipi fecit et omnes redditus et proventus castri seu loci predicti et pertinentiarum eius, quos redditus et proventus estimat et scit se extendere ad viginti quatuor libras Hallensium secundum taxationem, que vulgo dicitur herrengult, et similiter dicit se recepisse et fecisse recipi predicto nomine et predicto tempore predictum ius advocaticium ipsius capelle, quod dicit esse duo imina avene duos agnos et sex pullos. Rogatus, an possessio predictarum abbatisse et conventus fuerit pacifica vel interrupta, dicit, quod non vidit nec audivit, quod in possessione omnium predictorum unquam a tempore dicte venditionis fuerint per aliquem impedita vel etiam quocunque modo turbate vel impetite, nisi a quodam de Stain², qui eas super petia terre dicte Schamme pertinente predicto castro impetiit, a cuius impetitione fuerunt per officialem curie Constantiensis totaliter absolute, cuius sententie tenorem non recordatur, nisi quod in summa fuit intellectus eius, ut predictum est. Causam scientie huius dicit, quia ipse in eadem causa fuit procurator et sententiam obtinuit. Item rogatus,

²Rechtenstein.

si predicte abbatissa et conventus per se vel per alios predicta possederint et qui fuerint illi, qui ipsarum nomine possederint, dicit, quod nescit, nisi ut dixit et nisi quod sicut nunc hos procuratores in earum negotiis mittant nunc alios, maxime ipsum qui dicit et conversos earum, ita tunc fecerunt. Item super quinto articulo, in quo dicitur, quod dicte abbatissa et conventus receperunt hactenus ius advocacie in dictis possessionibus, quod tantum patronis debetur, dicit, quod hoc ius advocaticium per eum vel per alios ut vidit receperunt, ut est predictum. Rogatus, quid sit illud ius et que sint ille possessiones, a quibus dictum ius receperunt, dicit, quod sint duo imina avene duo agni et sex pulli, ut predictum est, et dantur pro iure advocatio predicte capelle de curia dicta Bevingers hof in Berolzstat et in villa Sevelingen de curia . . . dicti Numbrunner et de curia dicta Rilarshof et de area, quam tenet H. Flade molitor, et de alia area dicta Lupprandes hofstat. Rogatus de causa scientie dicit, quod ipsemet iam viginti annis et plus ista receperit per manus suas et recipi fecerit nomine predictarum abbatisse et conventus et quod dictus Bevinger et alii coloni dictarum possessionum sibi et aliis procuratoribus monasterii a toto tempore venditionis singulis annis portaverint, et audivit ab eo tempore, quo recordatur, a pluribus antiquioribus et ita credit esse, quod hec eadem arte tempus dicte venditionis a nuntiis predicti comitis Eber[hardi] semper fuerint recepta. Rogatus, si dictis possessionibus ius patronatus predicte capelle sit annexum et qualiter et quando et per quem annexum fuerit, dicit, quod nescit, nisi quod dicte possessiones, de quibus ipsum ius advocaticium datur, et ipsum ius patronatus sunt de pertinentiis ipsius castri seu loci predicti et ita semper audivit dici et sic credit esse. Rogatus, si dicte possessiones sint private vel in se contineant ius universitatis scilicet bannum districtum et iurisdictionem, dicit, quod in dictis possessionibus predicte abbatissa et conventus habent ministrum seu iustitiarium, qui ex parte earum iudicat in causis civilibus et in eisdem causis penas pecuniarias recipit et recepit ab omnibus pertinentibus castro seu loco et eius pertinentiis predictis et per hunc ministrum petunt et obtinent in dictis possessionibus currus qui dicuntur betwegen et his similia et dicit, quod per eundem ministrum iudicare possent in eisdem possessionibus indifferenter de omnibus causis, cum predictus comes Eber[hardus] hoc fecerit usque ad tempus dicte venditionis per suos iustitarios et ipse abbatissa et conventus successerint in ius eius, ut predictum est, non tamen a tempore dicte venditionis iudicium sanguinis exercuerunt propter statum eorum. Rogatus de causa scientie dicit, quod audivit a pluribus quos nominare nescit, et ita credit esse. Item super sexto articulo, in quo dicitur, quod des predictis est publica vox et fama, dicit, quod de venditione et pretii solutione et emptorum traditione et ipsorum possessione, ut predictum est, notorium est in Ulma et in pluribus aliis locis, et non solum de hiis, immo etiam de om-

nibus et singulis premissis dictis communiter a pluribus bonis et gravibus in predicto loco in Ulma et etiam in aliis pluribus locis et multis vicibus publice dicitur et predicatur et dicebatur ante motam litem, alias nescit, qualiter de predictis sit fama et unde ortum habuit et apud quos et quot et in quo loco et quando ad ipsum de his pervenerit et de quibus et quotiens. Causam scientie huius articuli dicit, quia a maiori parte universitatis in Ulma et a maxima parte totius vicinie audivit et ita credit esse. Secundum singulos articulos intentionis et interrogationis diligenter rogatus nichil plus scit et est L anorum et plus.

 2. Item Ūlricus antiquus dictus Giwerlich civis in Ulma testis iuratus non odio etc. rogatus super primo articulo, in quo dicitur de presentatione Johannis sacerdotis dicti de Loffenberg, dicit sibi nichil constare. Item super secundo articulo, in quo dicitur, quod predicte abbatisa et conventus in Sevelingen emerunt castrum in Eristain cum omnibus pertinentiis suis a comite Eber[hardo] de Wirtemberg et specialiter cum iure patronatus capelle ibidem pro ducentis et XL marcis argenti, dicit, quod ipse interfuit et vidit, quando iste contractus legitime fuit celebratus, nescit tamen, que pertinentie expresse fuerint, nisi quod scit, quod castrum cum iure patronatus et aliis pertinentiis venditum fuit, nec scit, per que verba venditio facta fuerit. Dicit etiam, quod ipse viderit et interfuerit, quod predicte abbatisa et conventus dederunt fideiussores antedicto comiti Eber[hardo] de predictis CC et XL marcis argenti solvendis et tunc ipse Eber[hardus] comes dictum castrum et ius patronatus et alias pertinentias castri resignavit libere ad manus quondam R[udolfi] Romanorum regis et dicit se scire esse notorium, quod statim predicte abbatisa et conventus possessionem ipsarum rerum emptarum intraverunt, in qua pacifice fuerunt a tempore dicte venditionis us[que] in hodiernum diem et in hac eas vidit, et non vidit nec audivit, quod unquam super eisdem rebus emptis impetite fuissent vel inquietate. Rogatus, quo tempore, quo loco et coram quibus hec venditio facta fuerit, dicit, quod sunt viginti anni et plus et quod fuit in domo fratrum Minorum in Gamundia in pomerio coram multis bonis et fide dignis, quos nominare nescit. Item super tertio articulo, in quo dicitur, quod dicta venditio facta fuerit ex consensu et cooperatione quondam Romanorum regis R[udolfi], per omnia concordat cum proximo teste, nisi quod nescit, quantum dedit eis in pretio dicte emptionis, et de causa scientie addit videlicet quod vidit et interfuit. Item super quarto articulo, in quo dicitur, quod dicte abbatisa et conventus a tempore dicte venditionis fuerint in possessione dicti castri cum pertinentiis et iure patronatus eiusdem, nichil dicit, nisi quod ipse abbatisa et conventus ex ipsis rebus emptis receperunt, quod recipere debuerunt, ut audivit a pluribus, et ita credit esse et dicit esse hoc notorium. Item super quinto articulo, in quo dicitur, quod dicte abbatisa et conventus receperunt ius advocacie in dictis possessionibus, quod tantum patronis debetur, dicit

sibi nichil de hoc constare de visu, sed quod audivit a pluribus bonis et ita credit esse, quod hactenus receperint et recipiant, quod de iure recipere debent, ut predixit. Item super sexto articulo, in quo dicitur, quod de predictis est publica vox et fama, dicit, quod ea, de quibus ipse deposuit, predicantur et dicuntur communiter a pluribus bonis et gravibus in Ulma et in multis aliis locis a tempore dicte venditionis citra. Secundum singulos intentionum et interrogationum articulos diligenter rogatus nichil plus scit et est ultra LXX annos.

3. Item H. dictus Scriba civis in Ulma testis iuratus non odio etc. de castro, videlicet quod vidit et interfuit et in omnibus aliis dictis Úlrici dicti Giwerlich testis secundi scilicet proximi concordat et addit, quod ipsemet auctoritate universitatis in Ulma tenuit ipsum castrum propter depredationes, que fiebant de ipso castro, et de consensu et bona voluntate et iussu ipsius Eber[hardi] comitis post factam emptionem tradidit ipsi monasterio antedicto possessionem eiusdem castri et addit, quod contractus factus fuit per quondam Ottonem ministrum in Ulma et Craftonem scribam fratrem ipsius, qui dicit, ex parte monasterii in Sevelingen predicti, qui etiam pro ipso monasterio fideiussorio nomine intercedebant super pretio dicte venditionis apud Eber[hardum] comitem supradictum. De tempore non recordatur, nisi quod tanto tempore possederunt, quod iam legitime prescripserunt. De etate predicti Eber[hardi] comitis concordat cum Al. capellano primo teste. Secundum singulos articulos intentionum et interrogationum diligenter rogatus dicit nichil plus et est XL annorum.

4. Her. dictus Welser civis in Ulma censualis Augie Maioris testis iuratus rogatus non odio etc. deponit de causa scientie et omnibus aliis, concordat cum Úlrico dicto Giwerlich teste secundo, nisi quod non dicit, si predictum monasterium fideiussores dedit predicto Eber[hardo] comiti pro dictis CC et XL marcis, sed solutionem audivit esse factam et sic credit esse, nescit etiam, si predictus Eber[hardus] comes prefatam venditionem fecisset coactus vel non, sed credit, quod non coactus, et addit, quod nichil ibi fuit exceptum, nisi feoda, que in vulgari dicuntur manlehen. Secundum singulos articulos intentionum et interrogationum diligenter rogatus nil plus scit et est XL annorum.

5. Item C. dictus Bevingar censualis sancte Marie in Althain testis iuratus rogatus non odio etc. super primo articulo et secundo et tertio dicit sibi nichil constare, nisi quod audivit a pluribus, quos nominare nescit, qui dixerunt ita esse, sicut primus et secundus testes deposuerunt, et ita credit esse. Item super quarto articulo dicit, quod ipsemet per continuos XIII annos de curia sua in Berolfstat singulis annis presentavit Al. capellano monasterii in Sevelingen nomine eiusdem monasterii duo imina avene et duos pullos et duos solidos Hallensium pro iure advocaticio dicte capelle et quod vidit patrem suum presentare idem ius advocaticium predicto monasterio per sex annos precedentes et dicit, quod idem ius advocaticium presentatum fuit ante dictam venditionem

VIII

militi dicto de Stain ex parte predicti Eber[hardi] comitis, ut audivit, nescit tamen, quanto tempore fuerit presentatum. Secundum singulos articulos intentionum et interrogationum diligenter rogatus nichil plus scit, nisi quod de fama concordat cum Al. teste primo, et est XL annorum.

 6. Item H. dictus Giro censualis ecclesie sancti Martini in Granhain testis iuratus rogatus non odio etc. deponit, prout audivit dici a pluribus, inter quos nominat Al. capellanum monasterii predicti in Sevelingen et C. conversum ibidem dictum Bumaister de Inghoven, quod ita sit per omnia, sicut Ūlricus dictus Giwerlich deposuit, nisi quod de loco venditionis non recordatur, et sicut audivit, ita credit esse, et addit, quod a quinquaginta annis citra recordatur, quod predicta capella Erigstain ipsi castro pertinebat et quicumque habuit dominium castri, quod ille etiam fuit patronus ipsius capelle. Secundum singulos articulos intentionum et interrogationum diligenter rogatus nil plus scit et est LX annorum.
 7. Item frater Marquardus heremita dictus Besserer testis iuratus rogatus non odio etc. deponit, quod audivit dici a pluribus, inter quos nominat Sifridum ministrum in Erigstain, . . dictum Ulen et . . dictum Casten ibidem, qui interfuerunt, et credit, quod ita sit per omnia, sicut Al. capellanus primus testis deposuit, et addit, quod a sexaginta annis citra recordatur, quod capella antedicta castro ibidem pertinebat et quicumque erat dominus castri quod ille etiam fuit patronus capelle ibidem, nescit tamen, si in venditione aliquid exceptum fuit. Secundum singulos articulos intentionum et interrogationum diligenter rogatus nichil scit et est LXXX annorum.

 8. Item conversus C. dictus de Inghoven³ dictus Bumaister testis iuratus rogatus non odio etc. deponit et concordat in omnibus et per omnia de auditu cum Al. capellano teste primo. Addit etiam, quod vidit et interfuit, quod dictum monasterium a tempore ipsius venditionis citra pacifice possedit omnes res a predicto Eber[hardo] comite emptas, ut predictum est. Secundum singulos articulos intentionum et interrogationum diligenter rogatus nichil plus scit et est XXXX annorum.

 9. Item Ber. villicus in Sevelingen dictus Numbrunner testis iuratus rogatus non odio etc. deponit et concordat de auditu cum Al. primo teste in omnibus et per omnia et addit, quod ipse de curia sua dicta Numbrunnershof sita in Sevelingen a tempore dicte venditionis singulis annis dedit unum agnum et unum pullum dicto Al. capellano recipienti nomine monasterii vel alteri in monasterio et hoc pro iure advocaticio dicte capelle, et vidit, quod alii similiter dederunt ius advocaticium, sed quantum et de quibus possessionibus nescit et audivit ab aliis antiquioribus suis et ita credit, quod ipsum ius advocaticium datum fuit aliis

³Laut GUSTAV BOSSERT: Topographisches. In: Württembergische Vierteljahrshefte für Landesgeschichte N.F. 13 (1904), S. 338-340, S. 339, vielleicht Ennahofen, Allmendingen, UL.

patronis, qui fuerunt ante predictam venditionem. Secundum singulos articulos intentionum et interrogationum diligenter rogatus nichil plus dicit et est XXX annorum.

 10. Item Ule villicus in Erigstain censualis sancti Johannis in Blaburron testis iuratus rogatus non odio etc. rogatus de auditu concordat cum teste primo et addit, quod ipse et frater suus dederunt predicto monasterio in Sevelingen singulis annis unum pullum a tempore dicte venditionis pro iure advocaticio dicte capelle Erigstain. Secundum singulos articulos intentionum et interrogationum diligenter rogatus nichil plus scit et est ultra XXXX annos.

 11. Item Sifridus minister in Erigstain testis iuratus rogatus non odio etc. rogatus dicit, quod audivit a primo teste dici et a dicto Bumaister converso in Sevelingen, quod ita sit per omnia, sicut ipse Al. capellanus primus deposuit et H. dictus Gire, et ita esse credit. Non recordatur tamen a quinquaginta annis citra, quod predicta capella castro pertinuerit et qui dominus castri fuit etiam patronus capelle, sed de hoc a XXX annis citra recordatur. Secundum singulos etc. nil plus scit et est XXXXVIII annorum.

 12. Item C. dictus Casto villicus in Erigstain censualis ecclesie sancti Johannis in Blaburron testis iuratus rogatus non odio etc. deponit et dicit se audivisse a pluribus, a Sifrido videlicet in Erigstain ministro, . . dicto Ulen et aliis, ita esse sicut primus testis deposuit per omnia et addit, quod ipse singulis annis dedit prefato monasterio unum pullum de curia dicta in Utelhusen⁴ pro iure advocaticio dicte capelle et hoc ad manus quandoque conversorum quandoque ad manus Ulrici dicti Karreler. Secundum singulos etc. nil plus scit et est ultra XXXX annos.

 13. Item H. dictus Gozzo de Erigstain censualis ecclesie, cuius nomen ignorat, ut dicit, testis iuratus rogatus non odio etc. rogatus dicit, quod audivit a multis, quos nominare nescit, quod ita sit per omnia sicut primus testis deposuit. Secundum singulos etc. nil plus scit et est ultra XXX annos.

 14. Item Ulricus dictus Karreler minister in Sevelingen et servus monasterii eiusdem testis iuratus rogatus non odio etc. deponit et dicit se audivisse a pluribus, quos nominare nescit, quod ita sit per omnia, sicut testis primus deposuit, et addit, quod per manus suas recepit a Ber. dicto Numbrunner in Sevelingen de huba sua, quam colit, unum agnum et unum pullum, item a H. molitore dicto Fladen de area sua in Sevelingen duos pullos, item a Lupprando de area sua unum pullum pro iure advocaticio ipsius capelle in Erigstain iam per continuos decem annos et hec omnia recepit nomine predicti monasterii in Sevelingen. Secundum singulos etc. nil dicit plus et est XXXX annorum.

 15. Item H. dictus Lupprant in Sevelingen censualis ec-

⁴Laut GUSTAV BOSSERT: Topographisches. In: Württembergische Vierteljahrshefte für Landesgeschichte N.F. 13 (1904), S. 338-340, S. 339, ist *Utelhusen* bzw. *Üttelhusen* Jedelhausen, Neu-Ulm, NU.

clesie in Elarbach testis iuratus rogatus non odio etc. rogatus concordat cum Ūlrico Karrelario proximo teste de auditu et addit, quod ipse dedit unum pullum bene sex annis pro iure advocaticio, ut dictum est, Karrelario nomine monasterii predicti. Secundum singulos etc. nihil plus scit et est paulo minus XXX annis.

 16. Walt. dictus Krieg de Erigstain censualis ecclesie in Dapfen testis iuratus non odio etc. de venditione predicta ut per Ūlicum dictum Giwerlich testem secundum predicatur facta a pluribus dicit se audivisse fide dignis et dicit se vidisse predictum monasterium fuisse in quieta et pacifica possessione omnium emptorum a tempore dicte venditionis citra. Secundum singulos etc. nichil plus dicit et est quiquaginta quinque annorum.

 17. Item frater C. conversus in Sevelingen dictus Behain testis iuratus rogatus non odio etc. dicit ita esse, sicut primus testis deposuit, prout audivit a pluribus, inter quos nominat Al. capellanum predicti monasterii, fratrem Gothfridum de Harthusen et ipsam abbatissam monasterii in Sevelingen, et ita credit esse, de presentatione tamen dicti Johannis sacerdotis et de forma venditionis et de tempore et loco et solutione pretii et coram quibus hec facta fuerint, ignorat. Secundum singulos etc. nichil plus scit et est XXXX annorum.

 18. Item frater C. conversus pistor sepedicti monasterii testis iuratus rogatus non odio etc. de auditu per omnia concordat cum Al. capellano teste primo, dicit etiam, quod a LX annis citra recordatur, quod capella sepenominata castro pertinebat et quod dominus castri fuit patronus capelle predicte. Secundum singulos etc. nichil plus dicit et est LXX annorum.

 19. Item H. pistor in Sevelingen censualis ecclesie sancti Martini in Gunzburg testis iuratus rogatus non odio etc. per omnia et in omnibus concordat cum Her. Welser, nisi quod non interfuit nec vidit, sed audivit a pluribus, inter quos nominat Ūlicum dictum antiquum Giwerlich secundum testem, Her. Welser et H. dictum Scribam, dicit etiam se audivisse Ūlicum dictum Karreler et alios recipere ius advocaticium nomine dicti monasterii a tempore dicte venditionis citra. Secundum singulos etc. nil plus scit et est XXXX annorum.

 20. Item Otto de Sevelingen dictus Wolf censualis ecclesie in Elarbach testis iuratus rogatus non odio etc. deponit et dicit se nichil scire aliud, nisi quod audivit ex relatione aliorum et ita credit esse, sicut primus testis deposuit circa intentiones, sed de solutione iuris advocaticii de visu concordat cum Lupprando fratre suo. Secundum singulos etc. nichil plus scit et est XXIII annorum.

 21. Item H. pistor de Erigstain censualis sancte Marie, cuius ecclesiam ignorat, ut dicit, iuratus rogatus non odio etc. de auditu dicit esse omnia vera in sex articulis contenta, sed de loco et tempore et coram quibus hec facta fuerint, non recordatur, nisi de tempore venditionis, de quo concordat cum teste primo et dicit de visu, quod dictum monasterium in quieta possessione emptorum sit et fuerit a tempore venditionis usque in hodiernum diem. Se-

cundum singulos etc. nihil plus seit et est XL annorum.
 22. Item Walt, dictus Wolf censualis altaris in Elarbach testis iuratus rogatus non odio etc. deponit, quod nescit de presentatione predicti Johannis sacerdotis, nisi ex relatione aliorum. De venditione ut supradictum est facta dicit sibi constare ex relatione patris sui, quem vidit habere in sacco XL marcas argenti, que in pretio dicte venditionis dabantur ratione monasterii antedicti, et dicit se ex relatione aliorum recepisse, quod a tempore venditionis sunt XX unus anni. De forma venditionis nescit et de solutione nichil scit. Audivit etiam, quod venditio facta fuit per manus quondam R[udolfi] Romanorum regis et vidit etiam predictum monasterium in pacifica possessione omnium emptorum et in possessione percipiendi ius advocaticium patrono predicte capelle debitum et plus quam quatuor vicibus manibus suis idem ius advocaticium presentavit nuntiis predicti monasterii, videlicet unum pullum. De loco venditionis nescit. Secundum singulos etc. nil plus scit et est XXVIII annorum.

 23. Item frater Gōtfridus in Harthusen conversus monasterii predicti testis iuratus rogatus non odio etc. dicit de presentatione Johannis sacerdotis prefati se scire eo quod consilium dedit et ab aliis audivit et dicit, quod recordatur a L annis citra, quod ius patronatus capelle in Erigstain castro pertinuit et quod castrum cum iure patronatus et aliis pertinentiis suis dicto monasterio venditum fuit ut predictum est et traditum et de solutione pretii nescit nisi per auditum et de possessione emptorum et specialiter de iure advocaticio dicit se ipsum recepisse per sedecim annos continue, videlicet quolibet anno de curia dicta Úttelhusen unum agnum. Tempus venditionis et locum et coram quibus facta fuerit nescit. Secundum singulos etc. nichil plus scit et est ultra LXX annos.

 24. Item frater Marquardus conversus dicti monasterii testis iuratus rogatus non odio etc. deponit et per omnia concordat cum Al. capellano primo teste, nisi quod non legit litteras presentationis nec consilium ad hoc dedit nec solutionem fecit nec ipsi apprehensioni emptorum interfuit nec per manus suas proventus emptorum recepit nec recipi fecit nec ius advocaticium, sed hec omnia recipi vidit a tempore dicte venditionis citra. Secundum singulos etc. nichil plus scit et est LXXX annorum.

—

Die Urkunde gehört in unmittelbaren Sachzusammenhang mit den Urkunden Nr. 3079 und 3080 (WUB, Bd. VIII, S. 296 bzw. S. 296 f.); sie folgt der Urkunde Nr. 3080a (WUB, Bd. VIII, S. 297 f.) nach.

 Pergament von 113 cm Länge und ca. 17 cm Breite, aus 2 Stücken zusammengenäht. Auf der Rückseite der Urkunde auf der Naht noch Spuren eines aufgedrückten spitzovalen Siegels; gleichzeitige Kopie mit der Einleitung: *H[einricus] dei gratia Constantiensis episcopus etc. Datum per copiam etc..*

Überlieferung und Publikationen

Editionen:

FRIEDRICH PRESSEL (HRSG.): Ulmisches Urkundenbuch, 2 Bde., Stuttgart bzw. Ulm 1873-1900, Bd. 1, S. 166 ff. (Auszug).

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Ortsindex:

(Burg) Württemberg Wüstung (21519)
 (Burg) Württemberg, Stuttgart, S, W
 Altheim Wohnplatz (16682)
 Altheim, UL
 Berghausen Wohnplatz (5537)
 Berghausen, Pfinztal, KA
 Bernstadt Wohnplatz (16716)
 Bernstadt, UL
 Blaubeuren Wohnplatz (16722)
 Blaubeuren, UL
 Burgau, GZ
 Dapfen Wohnplatz (15849)
 Dapfen, Gomadingen, RT
 Ehrenstein Wohnplatz (17016)
 Ehrenstein, Blaustein, UL
 Ennahofen Wohnplatz (16668)
 Ennahofen, Allmendingen, UL
 Erbach Wohnplatz (16812)
 Erbach, UL
 Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)
 Esslingen am Neckar, ES
 Günzburg, GZ
 Harthausen Wohnplatz (16633)
 Harthausen, Ulm, UL
 Ingenhoven
 Jedelhausen, Neu-Ulm, NU
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Laufenbürg, Wassertrüdingen, AN
 Mähringen Wohnplatz (16639)
 Mähringen, Ulm, UL
 Nürtingen Wohnplatz (421)
 Nürtingen, ES
 Rechtenstein Wohnplatz (16926)
 Rechtenstein, UL
 Reichenau Wohnplatz (14588)
 Reichenau, KN
 Schelklingen Wohnplatz (16943)
 Schelklingen, UL
 Schwäbisch Gmünd Wohnplatz (4879)
 Schwäbisch Gmünd, AA
 Söflingen Wohnplatz (16646)
 Söflingen, Ulm, UL
 Ulm UL
 Ulm Gemeinde (16620)
 Utelhusen